



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793

AD LECTOREM.



Valis, quantaque fuerit Doctrina, atque sapientia Stephani Quarantæ I.V.D. quanta Ingenij perspicacitas, & excellentia omnibus quidem conspicuum est, verum quantum præsertim profecerit, quantum versatus fuerit, atque omnibus in causis Ecclesiasticis tam domesticis, quam forensibus præcellens extiterit, vel ex hoc facile cognosci potest, si quis hanc **B V L L A R I I S V M M A M** ab ipso omni studio, vigilia, atque sedulitate confectam præ manibus habuerit ad legendam, & contemplandam. Ob id in reducendis, ac colligendis vniuersis cum præcis, tum nouissimis constitutionibus, perinde ac omnes solares radios in perangustum speculum includens, in hanc breuissimam **S V M M A M**, quidquid vberimè in hoc dicendi genere potuerat afferri, plenissimè (breuibus tamen) redegit, conclusit, perstrinxitque. Cum autem in dies aliæ recentiores, lucidioresque Constitutiones Ecclesiasticæ ab Oriente Romanæ Apostolicæ Ecclesiæ Sedis effulserint, omni laborioso conatu molitus est, dum adhuc vigeret in humanis, vt ipsas quoque (seruato Summistarum more, atque stylo) cæteras adijceret, ac (& id exactissimè) ampliaret, ita vt nihil protinus in futurum, vel expetendum, vel præstandum relinqueret. Quare quæ omnia ad hæc vsque tempora constituta à Summis Pontificibus emanarunt, in hanc ampliorem formam, in multipliciores materias, luculentiorumque, ac feliciorum ordinem hic congesta, compilata, atque districta traduntur. Vnde, ne Auctor tantæ existimationis, tantique ponderis frustraretur laborem, & vt quisquis maximam adipisceretur vtilitatem, præcipuè verò ecclesiastico munere perfungentes, Nos iuxta Auctoris collectionem, & ordinem opere pretium duximus in præsentia cuncta in vnum redacta, & in multis grauissimis rebus adaucta iterum mandare typis, & è prælo nostro hoc exemplo edere in hominum lucem, atque ad vsum minime inutile Professoribus cum Procuratoribus, & Patronis Ecclesiasticis, tum Prælatibus tam sæcularibus, quam regularibus, item confessarijs, & alijs quibusuis curam animarum gerentibus necnon & simplicibus Sacerdotibus. Hanc **S V M M A M** locupletioribus suppellectilibus ditata impertiri. Quemadmodum, igitur de præstantia huius operis deque necessitate huiusmodi effecti studuimus (vt assolemus) tibi **LECTORI** Studiosissimo rem gratam facere, ac rem non vulgaris emolumenti præstare contendimus, pariter tu grato animo, velimus, suscipias, & Auctoris, & nostram diligentiam benignissimè ample.

amplectare. Caterum illud vnum te animaduertendum monemus, nimirum quoties citantur constitutiones existentes in folijs Bullarij intellige de Bullario Romano impresso anno M. D. LXXXVI. sub fel. Record. Sixti V. quoties non addetur in Bullario intellige de folijs presentis operis, quæ non reperiuntur in Bullario, & aliqua adhuc non sunt redactæ in voluminibus, quæ tamen hic non desiderantur. Insuper & nouum apponitur Index notabilium rerum, quæ digniora sunt scitu, & nihil appositum, nihil additum est, quin summam ad huius SVMMAE studiosos afferat facilitatem, atque venustatem redoleat. interim stude, & vale.

Sub tuum presidium confugimus S. Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo Gloriosa, & benedicta.

Quoniam post editionem multarum Summarum superuenierunt noua iura, innouando, moderando, ampliando, limitando, & quandoque corrigendo iura anteriora, quod nõ debet reprehensibile iudicari, ideo ego Stephanus Quaranta Ecclesiæ Neapolitanæ seruus inutilis, visis omnibus fere constitutionibus Apostolicis hucusque post volumina iuris Canonici promulgatis, cum annis superioribus recolligissem communes iuxta ordinem titulorum Decretalium, fui deinde requisitus a Reuer. Sacerdotibus, vt hanc recollectionem facerem, sectando communem styllum Summarum, quid de nouo fuerit prouisum recensendo, onus libenter suscepi, eis obtemperando, nam Domini mei sunt, quos præ cunctis reuereri Sanctus Franciscus monuit. Intercessione igitur semper Virginis Dei Genitricis Mariæ, cuius precibus nos adiuuari mente, & spiritu deuotissime poscimus, opus compleui, cum Adnotationibus, & Additionibus omni qua potui breuitate. Salua correctione Sanctæ Matris Ecclesiæ, cui omnia submittimus. Habetis Sacerdotes sancti, quod mihi iniunxistis, tantum vos rogo, vt ad Altare Domini memineritis mei. Vni trinoque Domino sit sempiterna gloria, qui vitam sine termino nobis donet in Patria. Amen.